QVÆSTIO LII.

SVMMARIA.

Ex Claro.

1 Teſtamentum nullum ex cauſa præteritionis, vel exhæredationis, hodie annullatur tantum quo ad inſtitutionem, cetera autem firma manent ex diſpoſitione Auth. ex cauſa, C. de lib. præter.
2 Et quid in præteritione facta per patrem, aut alios aſcendentes per lineam paternam.
3 Et quid in præteritione filij poſthumi.
4 Et quid ſi huiuſmodi poſthumus ſit ignoranter præteritus.
5 Et quid ſi ſit præteritus frater, & turpis perſona inſtituta.
6 Et quid ſi exhæredatio facta ſit cum cauſa, quæ tamen deinde probata non fuerit.

Ex Additionibus.

1 An teſtamentum, in quo filiusfamilias præteritus eſt, quoad inſtitutionem duntaxat, vel etiam quoad legata, & reliqua teſtamenti capitula, corruat.
2 Ius vetus aperto non mutatum, vel correctum, obſeruari debet.
3 Nemo pro parte teſtatus, & pro parte inteſtatus decedere poteſt.
4 Præteritio matris, vel aui materni eſt loco exhæredationis.
5 Nouella 115. de qua præteritione ſit accipienda.
6 Ius liberorum in nullo minuendum.
7 Quodnam teſtamentum fiat irritum.
8 Authenticæ Irnerij non ſunt omnino authenticæ.
9 Si poſthumus fuerit ignoranter à patre præteritus, an hoc caſu rupto teſtamento ex cauſa præteritionis, legata & alia in teſtamento diſpoſita conſeruentur, remiſſiue.

ADDITIONES.

a *HOdie tamen quoad inſtitutionem bene annullatur, &c.*]
1 Quid teſtamentum † patris ex præteritione nullũ, ſolum quoad hæredis inſtitutionem, non etiam quoad legata, fideicommiſſa, & cetera teſtamenti capitula, pro nullo, & infecto habeatur, vltra Clarum noſtrum, & Doctores ab eo allegatos, alij plerique defendunt, Didacus Couarruu. in c. Raynutius 16. de teſtament. §. 6. num. 3. cum ſeq. Graſſus lib. 1. recept. ſent. §. legatum, q 67 num. 2. Donell. in authen. ex cauſa, nu. 7. & 8. C. de liber. præterit, item lib. 6. commentar. de iure ciu. c. 13. pag. 32. circa fin. item lib. 8. c. 17. pag. 267. & lib. 19. c. 6. Vigelius in methodo iur. controuerſ. lib. 4. c. 9. reg. 14. except. 38 replic. 3. Gail. lib. 2. obſ. 113. nu. 1. Duarenus ad tit. ff. de iniuſt. rupt. irr. fact. teſtam. c. 2. Ioan. Baptiſta Coſta in tract. de facti ſcient. & ignorant. cent. 2. diſt. 93. nu. 5. Bellonus lib. 4. ſupputat. cap. vltim. in fin. Loriot. de iuris art. tract. 12. de exhæred. axiom. 53. & ſeq. Fachineus lib. 4. controuerſ. iur. cap. 10. lib. 6. cap. 77. & lib. 10 cap. 70. Cephal. conſ. 585. nu. 39. lib. 4. Villalob. in theſaur. cõmun. opin. in verb. teſtamentũ, nu. 45. Arumæus Exercit. Iuſtin. 10. th. 2. Forſter. Iunior. lib. 2. diſp. 12. theſ. 17. Henonius diſput. 7. cõtrouerſ. 15. Paulus Berens diſp. 6. ad Inſt. the. 3. q. 2. Thadeus Piſo lib. 2. variar. reſolut. c. 12. nu. 2. & Vngepaur Exercit. Iuſtin. 12. quæſt. 2. Ceterum hæc ſententia licet frequentioribus Interpretum votis ſit comprobata: non tamen deſunt, qui probabiliter negant, ex huiuſmodi teſtamento, quod ob præteritionem paternam nullum eſt, quidquam deberi: ac proinde ſtatuunt, illud non tantum quoad hæredis inſtitutionem, ſed & quoad legata, ceteraque in teſtamento relicta, nullius momenti eſſe. Raphael. Cuman. & Cuiac. in l. filio, 17. ff. de iniuſt. rupt. irr. fact. teſtam. Ant. Faber lib. 9. coniectur. iur. cap. 14. & part. 1. de errorib. pragmat. decad. 20. error. 4. & decad. 49. error. 5. Alciat. lib. 4. parerg. cap. 9. D. Collega Bocer. claſſ. 3. diſput. 3. th. 16. edit. 2. Petrus Gregor. lib. 42. ſyntagm. iur. vniuerſ. cap. 22. num. 31. Chiflet. lib. 3. de iur. fideicommiſſ. c. 8. Hilliger. in Donell. enucleat. lib. 6. cap. 13. ad lit. F. Andreas Gerhard. exercitat. Iuſtin. decad. 8. quæſt. 4. Treutler. volum. 1. diſp. 13. th. 7. ad lit. C. Schifordeger. lib. 1. tract. 17. quæſtio. 1. cum aliquot ſeqq. Gilkenius ad d. auth. ex cauſa, à num. 1. vſque ad nu. 8. C. de liber. præterit. vbi num. 2. plures pro hac
3 opinione allegat. Eaque † ſuſtinetur hiſce potiſſimũ fundamentis. I. Quia iure veteri totum teſtamentum, ob præteritionem paternam, corruebat, d. l. filio, 17. ff. de iniuſt. rupt. irr. fact. teſtament. l. inter cetera, 30. ff. de liber. & poſthum. hæredib. inſtit. l. 1. in fin. C. de poſthum. hæredib. inſtit. & ſimilibus. Quod ius cum hodie non inueniatur aperte mutatum, vel correctum, cur ſtare prohibeatur? l. ſancimus 27. C. de teſtament. l. præcipimus, 32. §. fin. C.
3 de appellat. II. Quia † nemo pro parte teſtatus, & pro parte inteſtatus decedere poteſt, l. ius noſtrum, 7. de reg. iur. Id autem hic fieret, ſi contraria ſententia obtineret. Etenim filius præteritus concurreret cum legatarijs, & quia exhæredatione ius, quod viuo patre habuit, ei non eſſet abſciſſum, aut ademptum, eiuſdem in ſolidum maneret dominus, & ab inteſtato in totam hæreditatem, ac omnia bona ſuccederet, l. in ſuis, 11. ff. de liber. & poſthum. hæredib. inſtit. III. Quia in Nouell. 115. cap. 3. per præteritionem non alia intelligitur, quam matris, vel aui materni, vel filij, qui patrem præterijt: quæ præteritio loco exhæredationis eſt, §. vltim. Inſtitut. de exhæredat. liberor. Vbique enim eadem ratio illius conſtituitur, quæ exhæredationis: & ex vtriuſque cauſa dicitur teſtamentum euerti, eua-

cuari,

QVÆST. LII.

PRæcedentib. quæſtionibus viſum eſt, quemadmodum teſtamentum ex cauſa præteritionis, vel exhæredationis reddatur nullum, vel impugnari poſſit: Nunc ſciendum eſt, quod licet ſecundum iura antiqua teſtamentum annullaretur in totũ, ſcilicet tam reſpectu inſtitutionis, quam legatorum, & aliorum, quæ in ipſo teſtamento continentur,
a 1 *hodie [a] tamẽ quo ad inſtitutionem bene annullatur, iuxta diſpoſitionem iuris antiqui, ſed cetera in teſtamento contenta firma manent: & hoc ex diſpoſitione vulgatæ Auth. ex cauſa. ſupra multoties allegatæ. Et ita tenent communiter omnes nemine diſcrepante, vt dicit Pariſ. conſ. 60. nu. 36. lib. 2. & conſ. 64. nu. 20. eo vol. ex quo enim iniuria facta filio præterito, vel exhæredato, erat tantum circa inſtitutionẽ, valde rationabile fuit, vt in ea tantum parte annullaretur, in qua peccatum fuerat.*

Et quia hæc materia eſt ordinaria in ſcholis, & valde trita, breuiter attingendo tantum principales cõcluſiones Doctorum, dico, quod diſpoſitio d. Auth. proculdubio locũ habet in præteritione facta de filio, per matrem, aut alios aſcendentes per lineam maternam: quæ quidem præteritio, ſi facta ſit cum cauſa, habetur pro exhæredatione, vt dixi ſupra quæſt. 47. & ita tenent communiter omnes Scribentes, vt dicit Pariſ. in d. conſ. 60. nu. 12. Ita etiam cõmuniter teneri affirmat Imol. in l. filio præterito, nu. 31. ff. de iniuſto rupto. Sed quid in præteritione facta per patrẽ, vel alios aſcendentes per lineam paternam? Reſp. aliqui dixerũt, quod non: ſed quod tantummodo locũ habet in præteritione materna. Et hanc opin. dixit tenere Doctores omnes Cyn. in d. l. filio præterito. ff. de iniuſt. rup. Sed in hoc Cyn. verum non dixit, vt affirmat Bal. in d. l. filio præterito, poſt num. 2. quem refert & ſequitur Imol. in ead. l. filio præterito, poſt nu. 7. Tenendum eſt igitur, quod diſpoſitio dict. Auth. locum habet etiam in filio à patre præterito: quã opin. dicit eſſe communam Imol. in dict. l. filio præterito, num. 12. & ſeq. & hæc concluſio locum habet, ſiue talis filius à patre præteritus ſit in poteſtate patris conſtitutus, ſiue ſit emancipatus: & ita in filio in poteſtate concludit Bar. in dict. Auth. ex cauſa. num. 2. & eſt communis opin. vt dicit Alex. in d.

cuari, reſcin. dict. Nouell. 115. cap. 3. in fine. & cap. 4. in fine. Et quanquam
5 Iuſtinianus † verbo generali præteritionis vtatur: quia tamen certo certius eſt, eum non ſuſtuliſſe, in dict. Nouell. ius præteritionis paternæ, neque vllum caput huius iuris attigiſſe, præter ſolum nomen præteritionis: eo ipſo, quod non expreſſe abrogatum eſt ius præteritionis paternæ: & nihilominus verbum præteritionis generaliter appoſitum eſt, luculenter ſignificatur. Nouellam illam conſtitutionem non de præteritione paterna, propriè ſic dicta, ſed de materna, quæ pro exhæredatione habetur, accipiendam eſſe. Idque etiã eſt, cur in tota illa conſtitutione nuſquam verbũ præteritionis ſeparatim ponatur, ſed vbique verbum exhæredationis addatur. Eſt quidem, vbi Imper. in d. Nouell. de ſolis exhæredatis liberis loquatur: nuſquam verò de ſolis præteritis. Quod ſi eſſet factũ: forſan cauſa eſſet, cur verbo generali præteritionis induceremur ad credendum ius præteritionis innouatũ eſſe. Iam quia id factum non eſt: vbique autem præteritioni exhæredatio coniungitur: non eſt, quamobrem generali præteritionis verbo abutamur. Ex qua ſanè coniũctione edocemur, quod ea iura connectat, quæ eandem rationem habeãt, argum. l. 1. ff. de reb. dub. IV. Quia Iuſtinianus Imperator in d. Nouell. 115. cap. 3. circa finem, in vni-
6 uerſum ſtatuit, in † nullo ius liberorum minuendũ eſſe. Ait enim diſertè: ideò ſe ſuperiore conſtituiſſe, ne liberi falſis accuſationibus condemnẽtur, vel aliquam circumſcriptionem in parentum ſubſtantijs patiantur. Atqui proculdubio minueretur ius liberorum in poteſtate patris conſtitutorum, ſi legata in eo teſtamento, in quo filius præteritus fuiſſet, & quod nullo iure valuiſſet, relicta deberentur, quæ olim filius præteritus nullo iure debuiſſet, leg. is, qui in poteſtate. 13. ff. de legat. præſtand. V. Quia Irnerius dictam Authenticã ex cauſ. 1. Cod. de liberis præteritis, concepit de irrito facto teſtamento ex cauſa præteritionis. Ir-
7 ritum † eſſe dixit Teſtamentum, vt ſignificaret, aliquando tenuiſſe. Irritum ſi quidem non fit teſtamentum, niſi quod aliquo caſu, & tempore ratum fuit, l. 1. l. ſi quis filio. 6 §. irritum. 5. ff. de iniuſt. rupt. irr. fact. teſtam. Filio autem à patre præterito non fit irritum teſtamentum, ſed eſt iniuſtum, & nullum d. l. 1. ff.
8 eod. Et † vtut Irnerius ſecus fortè ſenſerit: tamẽ authenticæ illius nõ ſunt omninò Authenticæ: ac proinde ſemper recurrendum ad ipſos Nouellarũ fontes, vnde illas Irnerius excerpſit: & non infrequenter eas reijciunt noſtrates, quod locus primus, ſeu exemplar aliter ſe habeat, vt ex Alberico Gentili libro 3. lect. c. 11. refert Hilliger. in Donel. enucleat. lib. 1. cap. 11. lit. E. & d. lib. 6. cap. 13. lit. F. Porro hanc rem omnium exquiſitiſſimè explanat Schifordegherus dict. lib. 1. tract. 17. q. 1. & ſeqq. vbi argumenta cõtraria abũdè confutat. *Harpr.*

b *Ignoranter præteritus.*] Sed an in præteritione poſthumi ignoranter facta, conſeruẽtur legata in magna quantitate facta? dixi in collecta mea commun. opin. in verbo præterito, ſub numero 2. 3. quod etiam notaui ſupra q. 46. *Giachar.*

Sed quid, ſi poſthumus ut ignorãter præteritus.]
9 An † & quatenus legata, & alia in teſtamẽto diſpoſita, conſeruentur, ſi pater ignoranter poſthumũ præterijt latiſſimè explicat Thadeus Piſo, libr. 2. var. reſol. cap. 12. num. 4. nec non Petrus Gilchen. in d. Authent. ex cauſa. C. de liber. præter. nu. 10. & ſeqq. *Harpr.*

c *Legata.*] Et quod teſtamentũ, in quo inſtituta ſit turpis perſona, infirmetur nedum quo ad inſtitutionẽ, ſed etiã quo ad legata, & fideicõmiſſa, commune, dicit Rol. in conſ. 87. n. 11. lib. 3. vbi clauſula codicillaris, tũc nil operatur, numero duodecimo. *Giach.*

Authent. ex cauſa, numer. 15. Corn. conſ. 188. col. 2. in littera D. libro 3. Iaſ. in dicta Authent. ex cauſa, numero primo. Idem in filio emancipato tenet Bartol. in d. Authent. ex cauſa, numero octauo, & ita communiter teneri atteſtatur Apoſtil. ad Bartol. ibi pariter, ſub numero octauo. Hanc etiam eſſe communem ſentẽtiam dicit Iaſon in eadem Authent. ex cauſa, numero ſeptimo. Eſſet enim valde inconueniens, vt eſſet melioris conditionis filius emancipatus, quam ſuus. Et licet circa hæc multa diſputando dici poſſent, tamen in practica temerarium eſſet illa in dubium refricare.

3 *Item quæro, an diſpoſitio dict. Authent. locum habeat tam in præteritione filij iam nati, quam in præteritione poſthumi? Reſpondeo, quod ſic. Et quod habeat locum in præteritione filij iam nati à patre ſcienter facta, tenuit Bartolus in dicta Authentica ex cauſa. numero quarto, & hæc eſt communis ſententia, vt ait Curt. iun. in dict. Authent. ex cauſa, numero ſexto, & ſequen. Quod autem habeat locum etiam in præteritione poſthumi: tenuit Bartol. in eadem Authent. ex cauſa, numero ſexto, licet loquatur, quando ſcienter fuit præteritus. Et ita communiter teneri atteſtatur Imola in capit. cum eſſes, numero vigeſimoſexto de teſtamento. Hanc etiam opinionem dicit eſſe communem Alexand. in dicta Authentica ex cauſa. numero decimoſeptimo. Corn. in dicto conſilio 158. columna quarta, in littera R. libro ſecundo, & cõſilio 244. in littera G. eodem volumine. Iaſ. in dicta Authẽt. ex cauſa, numero ſecundo. Bertrand. conſilio 150. numero primo libro tertio, in 2. part. Curt. iun. in d. Authentic. ex cauſa, numero duodecimo, & ſequen. Pariſ. conſ. 60. nu. 9. libr. 2. & conſ. 64. num. 6. eod. vol. & hoc ferè omnes fatentur.*

4 b *Sed quid ſi poſthumus ſit ignoranter [b] præteritus, nunquid etiam hoc caſu locum habebit diſpoſitio dict. Authent. ex cauſa? Reſpondeo, quod in articulo Doctores fuerunt multum varij. Multi enim tenuerunt, quod etiam hoc caſu locum habeat. Et hanc opinionem dicit eſſe communem, Pariſ. in dicto conſilio 60. numero decimotertio, & conſilio 61. numero decimoquarto, eodem libro, & in dicto conſilio 64. nnmero octauo. Contrariã verò ſententiam, ſcilicet quod imo diſpoſitio dict. Authen. nõ habeat locum, vbi poſthumus ſit ignoranter præteritus, tenuit Bartol. in dicta Authentica ex cauſa, numero quarto. & hanc opinionem dicit eſſe magis communiter approbatam, Iaſon in dicta Authentica ex cauſa, numero tertio, & ſequ. quem refert Bertrand. conſilio 150. numero ſecundo, libro ſecundo in ſecunda parte. Hanc etiam dicit magis eſſe communem Aretin. conſilio 158. quod eſt conſilium vltimum. prout illum refert Tiraquell. in repet. l. ſi vnquam, in verbo, Donatione largitus, numoro 263. Gulielmus de Benedictis in prima parte repet. capit. Raynutius, fol. 204. numeno 232. & ſequ. Curt. iun. in dicta Authentica ex cauſa, numero decimoſeptimo. Apoſtill. ad Bartolum in dicta Authentica ex canſa, ſub numero quarto, & hæc opinio mihi ſemper placuit, tanquam verior, & æquior, & magis fauens filijs, & adhærens veriſimili menti Teſtatoris, quæ etiam proculdubio eſt magis communis, & ideò ab ea in practica non recedas, ſi vis rectè iudicare. Et in hoc propoſito videnda ſunt ea, quæ dixi ſupra quæſtione 47. verſicul. Et hæc quidem, quæ omnia poſſũt ad hanc quæſtionem ſatis accommodari.*

5 *Sed quæro, tu ſcis, quod frater præteritus à fratre ſi turpis perſona ſit inſtituta, poteſt teſtamentum fratris per querelam reſcindere, vt dixi ſupra quæſtione 50. Nunquid etiam hoc caſu erit locus diſpoſitioni d. Auth. ex cauſa, vt ſcilicet le-*
c *gata, [c] & cetera in teſtamento ipſo contenta præter inſtitutionem, conſeruentur? Reſpon. Hæc eſt ardua quæſtio, & quæ indigeret deciſione Imperatoris, vt ſentire videtur Salicet. in l. fratres, num. 9. C. de inoffic. teſtam. Communis tamen ſententia videtur eſſe, ꝙ iſto caſu*

non

Non habeat locum diſpoſitio dict. Authent. ſed quod ſimul cum inſtitutione omnia corruant, teſt. Iaſ. in d. l. fratres, numero 3. Quæ tamen opinio mihi ſemper viſa fuit terribilis. Videtur enim (iudicio meo) valde iniquum, quod filius præteritus rumpens teſtamentum paternum, teneatur præſtare legata, & fideicommiſſa, non autem frater rumpens teſtamentum fratris, & ſic quod collaterales ſint melioris conditionis, quam deſcendentes. Nec quidquam facit, quod in correctoriis non fiat extenſio, ex maioritate rationis; quia poſſet dici verba ipſius Authentic. eſſe generalia, & abſque vlla extenſione comprehendere caſum noſtrū. Præterea illa concluſio, quod in correctoriis non admittatur extenſio, etiam ex maioritate rationis, non eſt ſine controuerſia: & multi atteſtantur communem opinionem eſſe in contrarium, & habet etiam multas limitationes, quæ poſſunt ad hoc propoſitum optimè accommodari, vt latè dixi ſupra libro 1. Ideò ſi caſus contingeret in facto, credo, quod non peccaret mortaliter Iudex, qui iudicaret contra hanc communem ſententiam.

6 *Sed nunquid generaliter quocunque modo teſtamentum impugnetur ex cauſa exhæredationis, habebit locum diſpoſitio d. Authen. ex cauſa? Reſpond. quod in hoc articulo aliquando fuerunt opin. Nam gloſſ. communiter tenuerunt, vbi exhæredatio facta eſt cum cauſa, quæ deinde nō probatur legitima (quo caſu teſtamentum reſcinditur per querelam inofficioſi, tanquam conditum à demente) quod non ſit locus diſpoſitioni d. Authen. & hanc opin. dixit eſſe communem. Signor. conſ. 171. nu. 8. in fin. prout illum refert Curt. Iun. in Authen. ex cauſa, nu. 68. Contrariam autem ſententiam, ſcilicet, quod ſiue exhæredatio facta ſit non inſerta cauſa legitima, ſiue cauſa ſit inſerta, ſed per hæredem non probata, ſēper ſit locus diſpoſitioni d. Auth. tenuit Bart. in d. Auth. ex cauſa, nu. 9. Et quidquid dicat Signor. in alleg. conſ. ita cōmuniter tenetur, vt affirmat Cornel. in d. conſ. 158. column. 5. in littera T. lib. 2. & conſ. 225. in littera E. lib. 3. Iaſon in Authen. ex cauſa, poſt num. 8. verſ. Sequitur text. Hanc etiam opin. dicit eſſe communem Imol. in d. l. filio præterito num. 32. ff. de iniuſto rupt. Alex. in d. Authen. ex cauſa, numero 8. Vtroque enim caſu militant verba ipſius Authent. & eadem quoque ratio.*

QVÆSTIO LIII.

SVMMARIA.

Ex Claro.

1 *Inſtitutio facta in re certa, an ſuſtineatur tx diſpoſitione Authent. ex cauſa.*

Ex Additionibus.

1 *Ecquid inſtitutio facta de re certa ſuſtineatur per diſpoſitionem Authent. ex cauſa. C. de liber. præterit.*
2 *An, & quatenus inſtitutus in re certa ſit loco hæredis, vel legatarij.*
3 *Teſtator pro parte teſtatus, pro parte inteſtatus decedere nequit*
4 *Omne actum ſic interpretari debemus, vt magis valeat, quam pereat.*

QVÆSTIO LIII.

1 *Sed quia textus in dicta Authentica dicit, quod teſtamentum irritatur, q̃tum ad inſtitutionem, Quæro, nunquid irritetur etiam inſtitutio facta* a *in re* [a] *certa? Reſpondeo, quod quatenus talis inſtitutio ſapit vim legati, ſuſtinetur ex diſpoſitione dict. Authentic. quatenus autem poteſt habere vim inſtitutionis, annullatur. Ita tenet Bartol. in d. Authent. ex cauſa, numero decimoquinto, & eſt communis opinio, vt dicit Alexander in dict. Authētica ex cauſa, numero ſeptimo, Rubeus conſ. 164. num. 6. Ideò ſi pater, præterito filio, inſtituat aliquem in re certa, nullo dato cohærede vniuerſali, iſte*

ADDITIONES.

a Facta in re certa.] Item quod inſtitutio de re certa facta in teſtamento ratione præteritionis, vel exhæredationis, ſi ſapiat naturam vniuerſalis inſtitutionis, ex iure accreſcendi irritetur, ſi naturam legati conſeruet, commuue etiam dicit Iacobus de Sancto Georgio in dicta Authentica ex cauſa, ſub numero decimo octauo, & an inſtitutus in re cetta habeat beneficium leg. final. Codice de edictis D. Adriani tollend. commune dixi in collecta mea commun. opinion. verbo, Inſtitutus, numero primo, dic, vt ibi. Et numero dixi, An inſtitutus in re certa nullo dato hærede vniuerſali, ſi Teſtator expreſsè prohibuit, ne ipſa inſtitutio trahatur ad alia bona, ſuccedat nere dum in illa re certa, verum etiam in omnibus, quia Teſtaror non poteſt decedere pro parte teſtatus, atque pro parte inteſtatus, vbi ampliatur, & limitatur. Et numero tertio, dixi, commune eſſe, quod inſtitutus in re certa non habet actiones hæreditarias actiuè, & paſſiuè. Et numero quarto, commune dixi, quod inſtitutus in re certa, ſeu in quota bonorum poſſit propria auctoritate apprehendere relictum ſibi factum. Ft numero quinto commune dixi, quod inſtitutus in re certa nou habet ius accreſcendi inſtituto vniuerſali repudiante. Item, & quod poteſt propria auctotitate capere. *Giacharius.*

Quæro nunquid irritetur etiam inſtitutio facta in re certa.]
1 Reſolutio huius quæſtionis pendet ex eo: an † inſtitutus in re certa ſit loco bætedis, vel legatarij. Nam ſi loco hæredis ſit: inſtitutio facta de re certa non ſuſtinebitur: ſi vero ſit loco legatarij, ſicut cetera legata (iuxta communiorem opinionem, cui quid in hac in parte deferendum ſit, in præcedente quæſtione attigimus) ſuſtineri poterit, per Authentic. ex cauſa. Cod. de liberis præterit. Circa quam rem ita quidem diſtinguendum exi-
2 ſtimant. Aut quis inſtitutus eſt in re certa, & nullum alium bæredem habet: & tunc etiam talis hæres in re certa perinde eſt, ac ſi ſolus ſcriptus fuiſſet hæres; & ob id, detracta rei mentione, hæres in ſolidum manet: ac per omnia loco hæredis habetur l. 1. §. ſi ex fundo. 4. ff. de hære-
3 dibus inſtituen. Eiuſque ratio eſt perſpicua: quia † alias teſtator decedere pro parte teſtatus, & pro parte inteſtatus, quod vt potè abſurdum, non eſt ſtatuēdum, l. ius noſtrū. 7. ff. de reg. iur. Aut plures hæredes inſtituti ſunt, & ſinguli in certis rebus, nulla quota, vel hæreditatis mentione habita; & tunc licet certi limites videantur acquirendæ hęreditatis aſſignati; attamen æqualiter ſuccedunt, & res, in quibus ſunt inſtituti, pro legatis habentur, ideſt, quilibet accipit ſuam rem, in qua eſt inſtitu-

inſtitutus in re certa, habebit ſolummodo illam rem, in qua fuerat inſtitutus, quatenus autem potuiſſet per ius accreſcendi habere reliquum hæreditas non ſuſtinetur eius inſtitutio. Vide in hoc propoſito, quando inſtitutus in re certa ſit loco legatarij, vel loco hæredis, quæ dixi ſupra §. Inſtitutio.

tus, tanquam pręcipuam: in relictis autem bonis ęqualiter ſuccedunt. l. quotiens. 9. §. ſi duo ſint. 13. & l. ex facto. 35. §. 2. ff. de hęredibus inſtit. Hocque ideò fit, ne in parte, cuius non eſt facta mentio, videatur teſtator inteſtatus, & in altera parte, cuius eſt facta mentio, teſtatus deceſſiſſe: quod non valet, vt oſtēſum eſt ex dicta l. ius noſtrum. 7. ff. de regul. iur.
4 Sed † & in omni re ſic actum interpretari debemus, vt magis ſubſiſtat, quam pereat. l. quoties. 12. ff. de rebus dubijs. Aut denique quis inſtitutus eſt in re certa, & alius in quota, vel ſimpliciter, vt ſi dicat Teſtator: Titium in fundo inſtituto, Caium autem in tertia parte, quę eſt quota, vel in rebus omnibus, quod eſt ſimpliciter inſtituere: & tunc inſtitutus in quota, vel ſimpliciter, eſt versu, hęres; alter vero, nec propriè Legatarius, nec propriè hęres eſt: ſed mediam quandam, & tertiam ſpeciem conſtituit, quę de utraque multa ſumit: quēadmodum poſt Bartolum à ſe citatum, id copioſius declarat Thadeus Piſo libro ſecūdo uariarum reſolut. capit. duodecimo, numero 24. cum ſequentibus. Item Michael Graſſus libro primo recept. ſentent. §. inſtitutio. quęſt. 22. numero 2. & ſeqq. *Harprec.*

QVÆSTIO LIV.

SVMMARIA.

Ex Claro.

1 *Legata, ſeu fideicommiſſa vniuerſalia nunquid ſuſtineantur ex diſpoſitione Auth. ex cauſa.*
2 *Et an ſubſtitutionis pupillares, vel exemplariæ. Et quid ſi factæ ſint ipſimet filio præterito? ibidem.*
3 *Et an legata facta ipſi filio præterito.*
4 *Et an legata facta turpibus perſonis.*
5 *Et quid de legatis factis in codicillis.*
6 *Et an huiuſmodi legata, quæ ſuſtinentur ex diſpoſitione d. auth. ex cauſa, petantur ex Teſtamento, vel tanquam ab inteſtato.*

Ex Additionibus.

1 *Nunquid fideicommiſſa vniuerſalia ſuſtineantur ex diſpoſitione authent. ex cauſa. C. de liber. præter. remiſſiue.*
2 *An ſubſtitutiones pupillares, & exemplares valeant, remiſſiuè.*
3 *Quo iure legata, quæ ſuſtinentur ex d. Auth. ex cauſa, petantur an ex teſtamento, vel ab inteſtato.*

QVÆSTIO LIV.

Nunc videndū eſt, quia text. in dict. Authent. ex cauſa, ſimpliciter dicit, cetera firma manent; an generaliter omnia contenta in teſtamento præter inſtitutionem ſuſtineantur? & quidē de reli-
a *ctis particularibus nulla eſt inter Doctores controuerſia-Sed*
b *quid in* [b] *legatis, vel fideicommiſſis vniuerſalib. Reſp. ꝙ etiā illa ſuſtinentur, ex diſpoſitione dict. Authent. ita tenuit Bart. ibi, nu. 18. & ad hoc allegatur glo. in d. l. ita tamen. §. quoties, in verbo compelli debet. ff. ad Trebell. quā dicit eſſe com. approbatam Socin. conſ. 92. nu. 3. lib. 4. Et ita cōmuniter teneri atteſtatur Imol. in d. l. filio pręterito, poſt nu. 36. ver. an autē comprehendat. Claud. in d. l. ita tamen, q̃ legit cum l. omnibus, §. quoties, num. 3. Hanc etiam dicit eſſe commu. opin. Alex. in d. Auth. ex cauſa, nu. 8. Iaſ. in d. Authent. ex cauſa, poſt nu. 6. verſ. quinto limita, & nu. 11. Dec. conſ. 95. nu. 3. Gul. de Benedict. in 1. part. repet. c. Raynut. fol. 205. n. 237. Curt. Iun. d. Authēt. ex cauſ. poſt num. 54. verſ. Tertiā concluſionem, Pariſ. conſ. 60. num. 11. lib. 2. & conſ. 6. nu. 11. eod. vol. & conſ. 64. num. 8. eod. uol. Talia enim fideicommiſſa nō impediunt ſucceſſionē inteſtati. Et ideō ſicut filio inſtituto potuiſſet imponi onus fieicōmiſſi, neque propterea illi diceretur eſſe facta aliqua iniuria: ita etiam debet in præiudicium præteriti ſuſtineri, cui ſatis eſſe debet, ſi inſtitutio ipſa corruit.*

2 *Quæro etiam, nunquid ſuſti-*
c *neantur ſubſtitutiones* [c] *pupillares, & exemplariæ factæ filijs in ipſo teſtamento? Reſpon. quod ſic. Ita tenet Bartol. in d. Authen. ex cauſa. num. 16. Et ita magis communiter tenetur, vt dicit Bertrand. conſil. 139. poſt num. 1. lib. 2. in 2. parte. Hanc etiam opinionem dicit eſſe communem. Imol. in cap. Raynutius, nu. 99. de teſtament. Alexan. in d. l. 1. §. fin. nu. 5. de vulg. Iaſ. in d. Authent. ex cauſa, nu. 10. Claud. in d. l. 1. §. fin. num. 3. Tales enim ſubſtitutiones non impediunt ſucceſſionem ab inteſtato, vt ſuperius de fideicommiſſo dictum eſt, Quæ quidem concluſio ſatis de plano procedit, quando talis*
d *ſubſtitutio pupillaris eſt facta alter* [d] *filio. Sed quid ſi facta ſit ipſimet filio præterito? Reſpond. quod pariter ſuſtinetur. & ita eſt commu. opin. vt dicit Claud. in d. §. fin. n. 5. Gul. de Bened. in 2. parte repet. cap. Raynutius. ſol. 39. poſt num. 66. Nam pupillaris ſubſtitutio concernit fauorem illius, cui facta eſt: merito ab eo non rumpitur. Secus ergo dicendum eſt in vulgari ſubſtitutione, per quam directo ſuccedit ipſi teſtatori. Illa enim proculdubio irritatur, ſicut & inſtitutio, alias hoc caſu diſpoſitio ipſius Auth. redditur eluſoria; quia ſubſtitutus vnlgaris admitteretur in defectum inſtituti; & filius præteritus adhuc remaneret excluſus.*

3 *Præterea quæro, nunquid ſuſtineantur etiam legata* [e] *facta*
e *ipſi filio præterito, vel exhæredato? Reſp. quod non. Ita tenet Bart. in d. Auth. ex cauſ. nu. 19. & eſt communis opin. teſte Rom. conſ. 516. nu. 10. quem refert Gozad. conſ. 49. n. 19. Cornel. conſil. 62. col. 2. in litt. F. lib. 2. Iaſ. in d. Auth. ex cauſa, nu. 14. & ſeq. Ripa in l. 2. poſt nu. 33. ff. de vulg. Io. Nic. Arelat. in 2. conſ. poſito poſt tit. de ſec. nup. 3. Qui enim teſta-*

ADDITIONES.

a Nulla eſt inter Doctores controuerſia.] Imò verò eſt, ſi magnę fuerint quantitatis, & quando eiuſmodi eſſe dicantur, vide Menoch. de arbitr. Iudic. caſ. 147. *Gouean.*

b *Sed quid in legatis, uel fideicommiſſis vniuer-*
1 *ſalibus.*] An † fideicommiſſa uniuerſalia, ſuſtineā tur ex diſpoſitione Authent. ex cauſa, C. de liber. pręterit. vltra Clarū noſtrum, & ab eo relatos, explicant quoque Thadeus Piſo lib. 2. var. reſol. cap. 12. nu. 16. & Petrus Gilchenius ad d. Authēt. ex cauſ. C. de liber. pręterit. nu. 42. *Harpr.*

c *Subſtitutiones pupillares.*] Et quod, tametſi hęreditas patris haud fuerit adita, ſnbſtitutio pupillaris nihilominus coufirmetur per Authentic. ex cauſa, commune dixi, in collect. mea cōmu. opin. verb. ſubſtitutio, numero 77. *Giachar.*

Quæro etiam, nunquid
2 *ſuſtineantur † ſubſtitutiones pupillares, & exēplariæ factæ filijs in ipſo teſtamento.*] De hac quęſtione latè in vtrāque partē diſputant Gilchenius ad d. Authent. ex cauſa. C. de liber. pręter. nu. 43. & Piſo prędicto cap. 2. nu. 12. cum ſeq. *Harpr.*

d *Facta alteri filio.*] Commune hoc etiam dicit Iacob. de S. Georg. d. Auth. ex cauſa, nu. 21. qui num. ſeq. dicit idem de facta à filio in poteſtate pręterito. Dixi etiam in collect. mea comm opin. in verb. ſnbſtitutio. *Giach.*

e *Legata facta.*] Sed nunquid legata, & fideicommiſſa debeantur ex teſtamento imperfecto, ſi perſonis teſtatori coniuncti